



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Synopsis Magnalium Divi Josephi**

**Ignatius <a Sancto Francisco>**

**Leodii, 1684**

Sect. 2. Vltima hujusce rei ratio ad propositum nostrum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38500**

## SECTIO II.

*Ultima hujusce rei ratio ad propositum nostrum.*

XX. Quod Sanctissimi Patriarchæ Josephi Deiparæ Sponsi singularis magnitudo, quam adstruere mihi propositum est in hoc opere, ex matrimonio cum eadem Deiparâ proveniat, ita pervulgatum est, ut nemo jam inveniat pius & fidelis, qui non ita sentiat. Cum enim per illud matrimonium factus sit verus ejusdem Deiparæ Sponsus & Conjux, consequenter nequæ omninò necessario factus est Pater Christi Domini ex suâ Conjuge de tempore sui cum illâ Conjugii, nec ullatenus à se divisâ, concepti & geniti: vel ut melius ac congruentius loquamur, per illud matrimonium executus est Deus voluntatem suam, secundum quam ab æterno decrevit D. Josephum elevare ad strictam Paternitatem respectu Filii sui: ex quâ Paternitate, summa ejus post Sponsam suam ad eundem Dei Filium Christum Dominum omnium fontem gratiarum copiosissimum propinquitas, & ex hac earumdem participatio largissima gratiarum.

XXI. Verùm enim verò non illud est quod hic volo: non enim hic tantum contendunt D. Josephum per matrimonium cum Virgine exaltatum, quasi Deus solum ex præsuppositâ prius in mente suâ matrimonii institutione ansam arripuerit D. Josephum per illud exaltandi ad paternitatem filii sui: hoc enim etiam magnum sit, & hætenus satis fuerit cæteris D. Josephi Encomiasticis, non tamen mihi & rei veritati: sed præterea aio ipsammet matrimonii institutionem ad multiplicationem generis humani ex hoc à Deo primitus fuisse volitam, quia voluit per illud, non tantum extollere totam naturam humanam, & singula hujus individua usque ad fraternitatem, & consanguinitatem cum Deo Incarnato, ut diximus Sectione præcedenti, sed maxime & prius, quia hac viâ vidit duo ejusdem naturæ humanæ individua,

Divam scilicet Virginem Deiparam, & Castissimum ejus Sponsum Divum Josephum posse summo quo poterat & fieri decebat modo, exaltari; illam quidem ad Maternitatem Dei; hunc verò ad ejusdem Paternitatem: ita ut ex hoc quod viderit Deus, si ad multiplicationem hominum institueret matrimonium, fore ut & tota natura in singulis individuis posset per Incarnationem Verbi exaltari ad fraternitatem & consanguinitatem cum eo (quomodo non fuisset exaltata si omnes homines creasset, etiam si tunc hominem assumpsisset) & Virgo evehi usque ad Maternitatem Dei, & Divus Josephus usque ad ejus Paternitatem, motus sit ut vellet potius homines hæc viâ multiplicari, quàm per creationem: & quia Deus plures fecit exaltationem istius Virginis & istius Viri, quàm cæterorum omnium, idcirco dico maxime & prius Deum voluisse instituire matrimonium ob illorù exaltationem, Virginis ad Maternitatē, & D. Josephi ad Paternitatem, quàm ob cæterorum ad fraternitatem & consanguinitatem, quamvis & horum exaltationem per hoc voluerit, & omnia demum ad summam sui nominis gloriam ordinavit, ut proinde dixerim nos aliquo modo duabus illis excellentibus creaturis post Deum debere, quod ad Dei fraternitatem & consanguinitatem evecti sumus, quodque ea dona quæ nobis hujus intuitu propinquitatis divinitus collata sunt acceperimus: cum ergò bona quæ ex matrimonio proveniunt tanta sint, ut multum prævaleant omnibus infau-ctis, ut constat, satisfactum est quarto & ultimo oppositæ sententiæ argumento.

## CAPUT II.

*De variis Beatissima Virginis Sponsis.*

**N**OMINA Sponsus & Sponsa dicuntur à spondere: Spondere autem secundum aliquos est quasi sponte dare: secundum alios sponte dicere, eo quod spondere ex institutione vocis sit idem quod promittere, quod fit non dando, sed